

Menschen Herz ein solches Liecht / daraus die Bekehrung fließe / und komme die H. Schrifft / als Gottes Wort / nicht in die Seele des Menschen / auch sey Christus bloß objective und significative in der Schrifft zu finden.

M.

MAGNIPHOSAURUS , anima mundi , Das geistliche Wesen aller Dienge ab Epoptis sacrorum Mysticorum , videndo minus videntibus & intelligendo minus intelligentibus , vocitatur. Reducere huc amant Theosophi pactum Veteris & Novi Testamenti , & somniis multijugis Böhmii palliandis utramque facere paginam. Traduntur hic MANIFESTATIONES INTERNÆ Autoris Theologæ Comparativæ , quas Spiritui Sancto tribuit , quæque , in deterius semper ruente seculo , ab irregenitis percipi non potuerint ; quo nomine modus docendi homines de voluntate DEI per verbum externum , idque satis crassum , corporeum , & per sensus demum externos in mentem penetrans , a Deo in subsidium vocatus fuerit. Neve id sine ratione docuisse videatur Impostor , causatur , vocem Spiritus Sancti lenem esse , tranquillam ac submissam , levi sibilo in corda regenitorum sese insinuantem . Quasi vero Spiritus divinus per codicis Biblici , ejusdemque scripti , salutarem usum nequeat esse tranquillus & lenis ; & quasi nigellæ innoxiaeque in chartis lineolæ aliquid impuritatis in se habeant , quo prohibetur Spiritus Sanctus , quo minus mentem suam nobis per illas manifestet . MARTYRIOUM MYSTICUM , quod aliis dicitur purgatio passiva , per impedimentum devotionis geminum describitur , partim per sublimem atque eminentem tentationem , in derelictione divina , caligine mentis & ariditate spirituali consistentem , partim per famam seu esuritionem animæ infestam . Horsum agglutinant alii eremum & infernum , de quibus jamdum antehac aliquid vidimus . MATRIMONIUM cum DEO , A VIRGINIBUS FATUIS AFFECTATUM . Fœmina quidem certe Gallica de Guion una cum asseclis ac Patronis , super hoc conjugio aut matrimonio plane non est audienda , vel hanc solum ob rationem , quoniam juxta expositionem illius anima , quæ

ad